



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Epistola Caloiohannis Imperatoris Bulgarorum ad Papam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

ni Idibus Novembris, pontificatus nostri anno quinto.

*EPISTOLA CALOIOHANNIS
Imperatoris Bulgarorum ad Papam.*

*Epist. 117.
Respondet
epist. 266. lib.
2.
Vide gesta In-
nocentij III.
cap. 66.*

Venerabili & sanctissimo patri summo Pontifici ego Caloiohannes Imperator Bulgarorum & Blacorum gaudium & salutem mando tibi. Notum facimus sanctitati vestrae quod nos recepimus vestras sacrosanctas litteras, quas nobis portavit religiosus Archypresbyter Brundusinus, & nos reputavimus eas caras super omne aurum & quemlibet lapidem pretiosum. Vnde multas egimus gratias omnipotenti Deo, qui visitavit nos servos suos indignos secundum suam ineffabilem bonitatem, & respexit humilitatem nostram, & reduxit nos ad memoriam sanguinis & patriae nostrae, à qua descendimus. Et nunc, sancte Pater, tanquam bonus pastor & caput omnium fidelium Christianorum, filios sanctae catholicae & apostolicae sedis congregare volens in unum, requisisti nos remotos secundum corpus. Et quamvis fratres mei bonae memoriae jamdudum voluerint mittere sanctitati vestrae, non tamen ad vos pervenire propter multos nostros contrarios potuerunt, & nos similiter probantes semel, secundò, & tertio ad vos dirigere, deducere non potuimus quod optabamus in fructum. Et nunc videntes quod sanctitas vestra dignata est mittere imperio nostro, tamquam proprii & dilectissimi filij, sicut amantissimo & desiderantissimo patri mittimus misericordiae vestrae religiosum electum Brandizubersensem fideliem Presbyterum Blasium unà cum fideli nuntio vestro Archipresbytero Brundusino, referentes vobis ex parte nostra gratiarum actiones & amicitiam & servitium sicut patri spirituali & summo Pontifici. Sanctissime pater, significastis nobis per sacras litteras vestras quod nos significaverimus vobis quid ab Ecclesia Romana petamus. Hoc autem petit imperium nostrum ab apostolica sede, ut nos simus in Ecclesia Romana sicut matris filialitate firmati. In primis petimus ab Ecclesia Romana matre nostra coronam & honorem tamquam dilectus filius, secundum quod Imperatores nostri veteres habuerunt. Unus fuit Petrus, alius fuit Samuel, & alij qui eos in imperio praecesserunt, sicut in libris nostris invenimus esse scriptum. Nunc autem, si placitum est sanctitati vestrae nobis istud implere, quidquid im-

perio nostro duxeris injungendum, illud ad honorem Dei & Ecclesiae Romanae complebitur. Nec miremini quod nuntius vester citò non rediit, quia nos suspicati fuimus aliquid contra eum, quia multi venerunt in imperium nostrum nos decipere cogitantes, sed nos ab omnibus bene novimus praecavere. Sed nos pro eo testimonium recepimus Praetaxati, & ei acquievimus. Verum si placet vobis, sanctissime pater, mittite nobis magnos nuntios de quibus nobis per vestras litteras intimastis, & istum destinate cum eis, & tunc certisbabitur de prima missione pariter & secunda. Det vobis Dominus multos annos.

*CALOIOHANNI DOMINO
Blacorum & Bulgarorum.*

Apostolica sedes, cui licet immeriti praesidemus, evangelici verbi memor quo beato Petro Apostolorum principi & cuilibet successori ejus intelligit esse dictum, *Si diligis me, pascere oves meas*, ut purae dilectionis affectum habere circa Dominum se ostendat, oves ejus pascere satagit & in unius Ecclesiae gremio mittere etiam congregare, ut sit unum ovile & unus pastor. Cum enim mater sit omnium generalis, ut circa filios matris exhibeat lenitatem, convocare ipsos & congregare conatur in unum, sicut gallina congregat pullos suos, & eos tum per Legatum per litteras suas visitat, ut & pastor suas oves agnoscat & cognoscant oves ovile pariter & pastorem. Hoc igitur attendentes, jampridem nobilitatem tuam per nuntium & litteras nostras duximus visitandam, ut intellecto devotionis affectu quem habes ad Romanam Ecclesiam matrem tuam, majores ad te nuntios postmodum mitteremus, qui tam te, qui ex nobili Romanorum prosapia diceris descendisse, quam degentem sub te populum verbo pascere & exemplo, & de benivolentia & gratia sedis apostolicae redderent certiore. Et licet de nuntio nostro primum tua nobilitas dubitaverit, sciens quod angelus Sathanae interdum in lucis angelum se transfiguratur, intellecta tamen postmodum per nobilis viri Praetaxati testimonium veritate, benignè ac honorificè ipsum recipere procurasti, sicut transmissae ad nos tuae litterae continebant. Rescripsisti autem nobis per eum & humiliter intimasti quod litteras nostras reputaveras pretiosas super omne aurum & quemlibet lapidem pretiosum, & Deo

*Epist. 116.
Respondet
epistola super-
riori.*